

## No. 422. 1333. 7. Mai.

*Der Probst Nicolaus und der Convent erklären, dass nach dem Testamente des Bürgers Herm. Gast 1 Talent Zinsen in Delmschütz gekauft worden seien, welche zunächst dessen Töchtern und nach deren Ableben dem Kloster zukommen sollen.*

Nos Nicolaus praepositus sanctimonialium monasterii sanctae Crucis prope Misnam, Kunegundis abbatissa, Agnes priorissa totusque conventus ibidem tenore praesentium litterarum recognoscimus publice protestando, quod honestus vir Hermannus dictus Gast olim civis in Misna felicis recordationis ante diem exitus sui quoddam condidit et fecit testamentum pro pueris suis videlicet Elizabet et Cilla sororibus ac sanctimonialibus apud sanctam Crucem degentibus, quod scilicet testamentum discreto viro suo amico domino Cunrado dicto Wluerici ordinis regularium apud sanctam Affram ordinandum ac perficiendum dereliquit fideliter et commisit, qui per nos ac per alios praedictorum puerorum amicos monitus et inductus de maturo consilio unum talentum annui census apud honestos viros Johannem et Theodericum fratres dictos de Schoninberg et suos patruales ac suos coheredes in villa Thelmaschitz pro sex sexagenis grossorum ac Pragensium denariorum iusto emtionis titulo comparavit, tali adiecta conditione, quod quamdiu praedictae duae sorores videlicet Elizabet et Cilla vixerint, ipsis ambabus debet supradictus census totaliter deservire, quarum vero, si altera earum de medio sublata fuerit, altera superstes quoad vixerit saepedictum censum percipiet ad tempora suae vitae. Sed postquam ambae de hoc saeculo transierint, praedictum talentum absque qualibet contradictione seu impedimento ad nos et ecclesiam nostram integraliter divolvetur, nec aliquis suorum amicorum habebit sibi aliquid iuris in praedicto censu penitus vindicare. In cuius rei testimonium praesentem litteram sigillo nostro et nostri conventus fecimus communiri. Datum et actum anno domini M<sup>o</sup>.CCC<sup>o</sup>.XXXIII<sup>o</sup>. in crastino beati Johannis ante portam.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden. Die beiden an Pergamentstreifen befestigt gewesenen Siegel sind abhanden gekommen.

## No. 423. 1337. 8. Mai.

*Aebtissin, Probst und die Gesamtheit des Klosters verpflichten sich der Jutta von Remze auf deren Lebenszeit jährlich 1 Talent zu zahlen, welches der Burggraf Meynher erkaufte hat und nach Jutta's Tode an das Kloster zurückfällt.*

Ego Cūngundis abatissa et VImannus praepositus sanctimonialium claustrum sanctae Crucis necnon universitas totius conventus eiusdem claustrum tenore praesentium recognoscimus et [ad] universorum notionem volumus devenire, quod nobili burgravio domino Meynhero burgravio Misnensi atque strenuis militibus Peregrino, Hugone et Wolez fratribus dictis de Remze promittimus in his scriptis, quod Jutthae filiae Hugonis de Remze bonae memoriae dare volumus et debeamus singulis annis circa festum beatae Walpurgis virginis medium talentum et circa festum beati Michaelis